

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Krause Jacobus Bolkius

**Disputatio Theologico-Philosophica, Pontificiis, Calvinianis, Et Photinianis  
Aphilosophs Philosophantibus Opposita**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737814837>

Druck Freier  Zugang



Vert.: J. Bolkius

H. Krause.

R. U. theol. 1642.



37. - 86

JEHOVA SOSPITANTE!  
DISPUTATIO THEOLOGICO-  
PHILOSOPHICA,  
**PONTIFICIIS, CAL-**  
**VINIANIS, ET PHOTINI-**


**ANIS ΑΦΙΛΟΣ ΘΦΩΣ PHILO-**  
**SOPHANTIBUS OP-**  
**POSITA,**

*Quam,*  
**Consensu Reverendi & Amplissimi Collegii**  
*Theologici, in celeberrima ROSTOCHIEN-*  
*SIM ACADEMIA*  
*ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIUNT,*  
**PRÆSES**

**M. HEINRICUS KRÜGER**  
**TORGAMISNICUS, S. S. THEOL.**

*STUDIOSUS,*  
*RESPONDENS*  
**JACOBUS BOLKIUS, Querfur-**  
*tensis Saxo.*

**Add. 14. Septembr. horisante-**  
**meridianis.**



**ROSTOCHII,**  
**Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typograph.**  
**ANNO M DC. XLII.**

1642



Σὺν Θεῷ

## PROCEMIUM.

**S**ocrates Philosophorum facile principes, cum à Philosophia orisibus quoddam argumentū proponerebatur ex Apostolo Paulo ad Coloss. 2. v. 8. desumptum: Βλέπετε μή τις ψυχὰς ἑαυτῶν ὀργάνων διὰ τῆς Φιλοσοφίας. vale responsum dedit, lib. 3. cap. 14. Quomodo cavere ab illis prædoniis poterimus, nisi arma eorum cognita habuerimus? Si cavere volumus, hostium arma possideamus oportet, non autem eo, quo hostes animo in illis usurpandis simus affecti, sed rejiciamus, quod malum est, quod autem bonum verumq; est, teneamus. Isdem Socratis verbis posset aliquis uti adversus eos, qui Philosophia nomen tam nobile, tam augustum, tam in omnibus scholis & Academijs decantatum, suis calumnijs non modo in odium vocare, sed & ex animis & manibus studiose juventutis omnino excutere conantur, unde hoc seculo exulceratissimo non paucireperiuntur, qui animum à Philosophia prorsus alienum habent, ejusmodi studium, non modo vanum & inutile, sed & perniciosum, prasertim S. Theologis arbitribus esse, arbitrantur: Nos vero ejusmodi osores & resires Philosophia non approbamus, quo enim pacto poterit aliquis sibi cavere ab adversariorum strobis, si non argumenta ipsorum cognita atq; perspecta habeat? quanquam animis non eodem modo debet esse affectus, quo adversariorum esse solet, siquidē illi ingenij sui nervos eo intendunt, ut verbum DEI sincerum rationis sua tenebris obscurare, & in alienam planè sententiam, torquere possint. Existimamus itaq; Philosophiam præclarum DEI immortalis donum esse, & di-

Commentatio  
Philosophiae

A 2

gnosis

gnum in quo acquirendo, excolendo, & ad posteritatem propagando, multum temporis operaq. ponatur, digna est, ut illam suspiciamus, veneremur, & ambabus ulnis amplexemur. Quod vero in alijs excellentissimis rebus contingit, ut quo earum rerum licitus usus, majorem afferat & φέλειαν & commoditatem, contra abusus illicitus detrimentum majus, id & in Philosophia, quæ alias cœu cornu Amaltheæ pleno ore divitias de se fundit, locum habet: Videmus enim Pontificios, cum Calvinianis, Photinianis, Weigelianis, Arminianis illius ἀζιώματα in succum & sanguinem suum convertere volentes, majus ferè Ecclesia documentū attrahere, & inferre, quam alijs armis. Volumus itaq. in præsenti hac Disputatione quædam axiomata examinare, & heterodoxis Philosophis opponere. Faxit ergo DEUS Optimus Maximus, ut ea quæ nobis salutaria sunt, discamus, quæ verò noxia sunt, fugiamus, & dirigat suo S. Sancto hunc disputationis nostræ actum, ut ea proferamus, quæ pertinent ad celebrationem nominis sui, & ad nostram salutem, per & propter filium suum unigenitum Amen.

### Q U A E S T I O I.

An Logica usu suo inserviat Theologia? vel  
An præcepta Logica ad Theologiam  
accommodari debeant?

Negativam sententiam defendunt Pontificij, sed quibus rationibus utuntur, in ipso disputationis actu videbimus. Nos contrarium asserimus his moti argumentis.

I. Ubi verum à falso, incertum à certo, probabile à necessario discernendum est, ibi usum habet Logica.

Sed in Theologia verum à falso, incertum à certo, probabile à necessario discernendum est, (æquè ut in Philosophia.)

E. Logica quoq; in Theolog. usum habet.  
Major probatur, ex fine Logices, qui est cognitio veritatis,  
in questionibus & controversijs.

z. 16

2. *Ab absurdo.* Si Logica in Theolog. non haberet usum, tunc Theologus nec Analysis librorum & capitum Biblicalorum instituere, nec erroribus, schismatis & hæresibus obviam ire, & veram sententiam stabilire posset.

Sed consequens non conceditur,

E. nec Antecedens.

3. Organon ab Aristotele ad Philosophiæ cognitionem scriptum est.

Sed Philosophia non tantum est cognitio rerum humanaarum, sed & divinarum,

E. Organon quoq; in rebus divinis usum habet.

4. Quarum scientiarum seu disciplinarum sunt κοιναὶ δόξαι,  
κρίκαθόλες ἀξιώματα, ad eas quoq; pertinet Organon  
Aristotelis. 3. Metaphys. 2.

Atqui Theol. habet κοινὰς δόξας καὶ κρίκαθόλες ἀξιώματα,

E. pertinet Logica ad Theologiam.

Min. prob. Quodlibet est, aut non est.

5. Quicquid facit nos ἀμετηπτώτας, illud sit beneficio Analytices,

Sed Theologia facit nos ἀμετηπτώτας,

E. beneficio Analytices.

Minor probatur; quia rationes non ex communi, sed ex propria natura desumit.

6. Ubi dantur Argumenta Analytica, ibi præcepta Analytica locum habent.

Sed in Theol. dantur argumenta Analytica, ex propriis &c.

E. in Theolog. præcepta Analytica locum habent.

7. Hinc August. lib. 2. de doctrinâ Christiana c. 20. Veritates Philosophicarum disciplinarum esse quasi quandam fontem erutum velut ex fodinis seu metallis quibusdam divinae pro videntiae ubiq; diffusæ. Habendæ itaq; sunt Regulae Analyticæ, pro naturalibus divinæ pudentiæ donis, quas εἰς ἀκολὺu τῆς πίστεως unā cum ratione ipsa redigimus. Licet non sint tales, quales requirit Aristoteles.

Non sequitur. Ille non habet tales aures, quales ego. E. nullas habet. Scheckius: *Ego quidem sic judico, tum demum fore quiet-*

tas & beatas Ecclesiastis, si aut Philosophi veri (qui non possunt non esse Logici) dent operam Theologia, aut Theologi Philosophentur bene. Nec in illorum sum sententia, qui Philosophiam (qua sine Logica constare nequit) Theologico studio obesse arbitrantur. Hac de quæstione vide plura apud Neldelium in usu Logices in fine libelli. Et Goclenium, in institutionibus Logicis, quest. I. Mulmannum, contra Jesuitas. Hoc iacto fundamento, duo subsidia & σκέψη Logica videbimus, quibus instructi, felicius, & majore cum fructu ad Theologiam accedere possumus. 1. refertur ad universum Systema, ac velut ad σωματοπόιησιν Theologæ, & ordo doctrinæ dicitur. 2. Ad singula disciplinae hujus ζητεύεται cognoscenda, & propriæ Methodus appellatur. Hinc

## QUESTIO II. emanat. An Theologia sit ordine Analytico, Synthetico, vel mixto conscribenda?

Thomæ & alij Scholastici volunt, Theologiam disciplinam esse mixtam, ex theoria & praxi, & consequenter illam esse ordine mixto conscribendā! Nos vero contra statuimus, & dicimus, quod ordo Analyticus Theologæ aptissimè conveniat, cum hic ordo principia requirat, quæ sunt duplia, essendi, & cognoscendi, ut primus locus sit DE SACRA SCRIPTURA, & alter DE DEO. Licet enim principia essendi sint priora, & primo secundum ordinem naturæ de DEO agendum esset, à qua causa tūm ipse finis sacrae Theologæ, tūm media ad hunc finem ducentia oriuntur, & existent tamen quia DEUS secundum essentiam & voluntatem nobis ignotus est, ideo de DEO loquendū, sicut in verbo suo se patet, cit Proinde primò agendum de principio μαθήσεως, sc. de SACRA SCRIPTUR A per quā finis & media Theologæ cognoscuntur, & ex qua omnia præcepta Theologica concluduntur & exstruuntur. Nā si cut Philosophia suis constat principijs εξ ἡνὸς αὐτοδεινύσον ejusdem professores, quibusq; negatis εκ τηλόγῳ: Ita quoq; scriptura est principium Theologæ αὐτοπίσον καὶ αὐτοποιητον, unde Theologi αποδεῖσις πρεμητηρίς educere possunt.

Cognit-

Cognitis itaq; principijs cognitionis, de sacra sc. Scriptura,  
& essendi de DEO uno & Trino; sequitur in ordine Analytico  
finis Theologiae, qui est JUSTIFICATIO HOMINIS PECCA-  
TORIS CORAM DEO; propter hunc enim finem tota Theologia  
instituta est. Hinc pro veniunt loci DE JUSTIFICATIONE,  
DE BONIS OPERIBUS.

Finem proxime sequitur subjectum, quod est homo pecca-  
tor, hinc loci DE IMAGINE DEI & CREATIONE, DE PECCA-  
TO, DE LIBERO ARBITRIO.

Ultimò deniq; media collocantur, per quæ finem adipisci  
possimus, quæ sunt vel proxima vel remota: Proximum est fides in  
Christum, hinc loci DE FIDE, DE CHRISTI PERSONA &  
OFFICIO, DE CONCEPTIONE, NATIVITATE, PASSIONE,  
CRUCIFIXIONE, MORTE, DESCENSIONE, RESURRECTIO-  
NE, ASCENSIONE, ET SESSIONE AD DEXTRAM.

Hæc autem non in Lege, sed in Evangelio nobis demonstran-  
tur, hinc loci DE LEGE ET EVANGELIO. Remotum est usus Sa-  
cramentorum Veter. & N. Testamenti, quæ Sacra menta sunt or-  
gana fidei; Hinc loci de CIRCUMCISIONE, AGNO PASCHA-  
LI, BAPTISMATE, ET COENA DOMINICA. Hæc omnia  
traduntur in Ecclesia; Hinc locus DE ECCLESIA.

Deniq; certitudo justificationis ostendenda; Hinc locus DE  
PRÆDESTINATIONE ET PROVIDENTIA: Et tandem Justi-  
ficationis consummatio perfenda, hinc loci de quatuor mundi  
novissimis, de FINE MUNDI, RESURRECTIONE MORTUO-  
RUM, ULTIMO JUDICIO, VITA ÆTERNA, ET INFERNO.

Ne autem videamus aliquid statuisse sine rationibus,  
has subiungamus.

¶ Omnes Practicæ disciplinæ, ordine Analytico sunt conscribenda;  
Theologia est disciplina Practicæ;  
E. Ordine Analytico conscribenda.

Minor dupli modo probatur i. dictis scriptur. Joh. 13, v. 17. Ego  
vobis dico ut mandebam eis, id est ποιῆσαι αὐτῷ. Jacob. 1, v. 22. jubet,  
ut simus ποιηταὶ operatores, non auditores, sed effectores. Genui-  
nus & architectonicus summus seu ultimus Theologia finis non  
con-

consistit ēv τῷ γνώστῃ, sed ēv τῇ πείρᾳ. Nuda scientia non salvi-  
ficat, sed ipsa fides actu; nec Imago DEI & salus æterna, nudā  
Θεωρία & speculatione recuperantur. Unde Bernhardus in tr. de  
ord. ritæ. Is, inquit, divinas scripturas rectè legit, qui verba vertit in  
opera.

2. Prob. hoc Prosylllog. In quā disciplinā datur finis, subjectum,  
& media, per quæ finis in subjectum introducendus est,  
ibi datur disciplina Practica.

Sed in Theologiâ datur finis, subjectum, & media.  
E. Est disciplina Practica.

Major Prosylllog. Zabarell. lib. 1. de Methodo, c. 6. & l. 2. c 9.  
Hæc enim sunt tria disciplinae cuiusq; operatriciū μέρη ουσιονὶς ut  
ἐπαντικῶς ex disciplinis operatricibus probari potest.

Minor prob. Quia finis Theologiæ, est justificatio hominis pec-  
catoris coram D E O. Subjectum γνέσεως, est homo peccator.  
Medium, fides in Christum.

Seu: Ordo, qui procedit à fine, subjecto, & medijs, est Analyticus.  
Sed in Theologia procedimus à fine, subjecto, & mediis.  
E. Analyticè.

Unde Gesn. in Genes. pag. 50. πείραις requirebatur ante lapsum.  
Nonmodo scientiam arboris boni & mali habere deberet, sed in illa se  
non tam Theoreticum, quam Practicum Theologum probaret. Si  
itaque in statu integritatis Theologia, fuerit Practica, multò magis  
jam post lapsum.

2. Ordo qui procedit à principio cognitionis, ad principia rei,  
est Analyticus.

Theologia à principio cognitionis, ad principia rei.  
E. Analyticus ordo.

Major prob. 5. Metaphys. 1. Duo principia μάθησεως καὶ  
πεγματικοῦ. Syntheticus progreditur à principiis rei, Analyti-  
cus, à principiis cognitionis.

Minor. Quia à scripturâ sacrâ, ad doctrinam de Deo proce-  
dendum, sicuti ex jam dictis appetat.

Concludimus ergo, Theogiam non ordine Synthetico seu  
mixto, sed Analytico conscribendam esse.

Quæ-

### QUESTIO III.

#### An in Theologia dantur demonstrationes?

Negat aliquor rationibus, Gregorius, Nicophorus, lib. 30. *Bizantina historia*. Sed negativæ sententiaz oppositior sequens affirmativa. 1. Ubicunq; dantur propria accidentia, per se subjecto alicui inherenteria, propter certam aliquam & propriam causam, ibi datur demonstratio.

Sed in Theolog. dantur propria accidentia, subjecto inherantia, propter proximam causam.

E. quoq; dantur demonstrationes.

Major patet. Quia hæc sunt requisita demonstrationis.

Minor. E. g. Quicunq; credit in Christum salvatur;

Omnes electi credunt in Christum.

E. Omnes Electi Salvantur.

Salvare est accidens proprium: Electi, est subjectum primum, de quo illud accidens demonstratur: causa est τὸ Credere proxima.

2. Ubi dantur demonstrationes summè necessaria, ibi datur demonstratio.

Sed in Theologia dantur demonstrationes summè necessaria; E.

Minor prob. Omnis credens salvatur; Est enunciatio summè necessaria, quæ aliter se habere nequit. Est quoq; immediata, quia causam dare non possum, cur credens salvetur, est ἀπέδειξις. Ubi ἀπέδειξι propositiones, ibi demonstratio.

3. Ab absurdo. Si in Theologia non datur demonstratio, seqq; rerum Theologicarum meram esse opinionem. seu:

Ubi non est demonstratio, ibi opinio,

Sed opinio in Theologia non locum haber,

E. datur demonstratio.

Minor. Opinio versatur circa res dubias, & incertas,

In Theologia non dubia & incerta res sunt;

E. Nec opinio ibi locum habebit.

Major Prosyll probat. ab Aristotele i. post. Anal. c. 26. η δοξα εἰσὶν περὶ τὸ αἰληθὲς η τὸ ψευδό. εἰ δεχόμενον δὲ καὶ αλλως εχειν.

4. Qui putat, rem aliter se habere non posse, non opinatur, sed  
revera scit.

Sed in Theolog. novimus, rem se aliter habere non posse.

E. Revera scimus, non opiniamur. Et per consequens,  
non Topicci, sed demonstrativi dantur.

Maj. est Aristoteles, post. Analyt. c. 26. οὐταὶ δοξάζειν,  
οὐταὶ οὐταὶ αὐτοῖς εἰσαγόντες, οὐταὶ επίσεοδος.

5. Ubi dantur principia κατὰ ταῦτα, καὶ αὐτὸς, καὶ καθόλως  
περὶ τούτων: ibi datur summa necessitas, & demonstratio.

Sed in Theol. dantur principia κατὰ ταῦτα &c.

E. datur perfecta demonstratio.

Minor prob: E.g. Omnis credens salvatur. Habet subjecti  
universitatem, & temporis perpetuitatem, est in secundo modo di-  
cendi per se, & salus est esse ente consequens Electorum. Habet  
quoq; Summam necessitatem, & potest converti: Omnis electus  
salvatur, & quicunq; salvatur, est electus: salus prædicatur de electis,  
sive credentibus ἡ αὐτὸς secundum propriam naturam.

6. Ubi datur scientia, ibi demonstratio;

Sed Theologia est Scientia.

E. Ibi datur demonstrationes.

Maj. Posito effectu, ponitur causa.

Minor. probat Gregorius de Valentia disput. i. de Theolog. quest. i.  
Non tantum est scientia, sed omnium scientiarum prestantissima &  
& certissima: Ubi tamen notandum vocabulum scientiae dupli-  
citer accipi posse. 1. γενερατιμ; 2. idιως propriet. Generali-  
ter & impropriè sumitur scientia, pro quavis disciplina, sive po-  
tentia, & sic Logica quoq; scientia dici potest. 2. Propriet, quan-  
do sumitur, ut à Philosopho in Ethicis, non competit Theologia.

#### QUESTIO IV.

An recte argumententur Pontificij: Mala opera  
damnant, E. bona Salvant?

Ita quidem sentiunt Papistæ, quorsum rafferunt axioma illud,  
Cic. lib. i. Tusc. quest. positum. Contrariorum contraria est ratio.  
Item contrariarum rerum & motus sunt contrarij. Arist. lib. i. de calo-  
& 3. fol. 20. Verum abutuntur illo axiome Pontificij, præsertim

in

in loco de Justificatione, ubi ita argumentantur: *S*illi, qui per se-  
dem jam sunt justificati, possunt gratia salutis excidere, per mala  
opera. E. per bona opera manent in justificatione. Ac proinde ad  
salutem sunt necessaria. vel ut Bellarm. *Mala opera merentur atra-  
nas penas. E. bona opera merentur vitam eternam.* Consequen-  
tiam probat illo canone, & dicit valere à contrarijs. Sed nos respon-  
demus: Valeret si contraria essent pariter integra, sed argumen-  
tatio fallit imperfetta oppositione contrariorum. Bona enim &  
mala opera (ut recte monet *Hutterus in form. Concord.*) non in  
paribus gradibus opponuntur. Et tūm deinceps valeret argumenta-  
tio, si bona opera eodem gradu summo essent bona & perfecta, tū  
ratione principij, tūm ratione finis; quemadmodum mala opera  
hoc gradu sunt mala. Mala autem ex nobis ipsis progrediuntur, &  
sunt perfectè mala, tūm infinitum numen divinum offendunt, &  
æternam propterea promerentur poenam: At verò bona opera  
primum non nostra sunt, sed aliena, nempe S. Sancti: Deinde sunt  
imperfectè bona, quippe polluta reliquis peccati *Rom. 7, 14. Iesu.*  
*64, 6.* Tandem inter nostra opera, & æternam vitam nulla est pro-  
portio, quæ præstet, ut respectus aliquis ad opera nostra institui  
possit. Limitamus itaq; hunc Canonem hoc modo. I. Contrario-  
rum, contraria est consequentia; sc. si contraria illa sint pars; sic  
non valet; calor & frigus sunt contraria, Ergo caloris intensi, &  
frigoris remissi, contraria sunt consequentia. Pars ratione non va-  
let; Mala opera damnant E. bona salvant: Nam maxima est dis-  
paritas, inter bona & mala opera; Mala opera enim, ut dixi, sunt  
perfectè mala, & excludunt S. Sanctum, simulq; damnationem me-  
rentur: Bona autem opera, proper naturam nostram, ex lapsu cor-  
ruptam, imperfectè bona sunt, ideoq; è contrario sensu non suffi-  
ciunt, ut vitam æternam mereantur. *Hac de quaest. vid. plura si plá-  
get, apud Chemn. in parte 3. locor. Theol. p. 167. Catechism. Theod.*  
*pag. 253.* II. Requirit ut in priori propositione, vel prædicetur pro-  
prium, vel definitio, vel differentia, a contrario sensu: sic non va-  
let. Homo est animal. E. Bestia non est animal, quia prædicatur  
genus, quod non est convertibile, & reciprocum, cum contraria  
propositione. Sic non valet. Humiditas est qualitas. E. siccitas non  
est qualitas: Item, Homo habet facultatem videndi, vivendi, senti-  
endi,

endi, loco movendi. E. bestiæ non habent. Optimè autem valet,  
Homo est visibilis. E. Bestia nō est visibilis, prædicatur enim proprium de suo subiecto. Sic optimè valet, homo est rationalis. E. Bestia non est rationalis, prædicatur enim differentia de homine. Optimè etiam valet, homo est animal rationale. E. bestiæ non est animal rationale. Tota enim definitio hominis bestiæ applicari nequit, quæ omnia Philosophus longè celeberrimus & Theolog. Excellens: Dn. D. Jacobus Martini, Præceptor meus at stem colendus, in Disput. quadam Anno 1624. Witteberg, habitæ, accuratè demonstrat.

### QUÆSTIO V.

#### An propria possint separari salva manente rei essentia?

Tā mābē sunt ἀχωγεῖσαι, ait Arist. l. 2, Phys. c. 4. hoc est, propria sunt inseparabilia: Ratio est, quia sunt essentialia, scil. exere. 307. s. 1. & exerc. 325. l. 1. de prop. neceſſ. c. 11. Hinc illa in scholis Logicis, tories decantata axiomata: Propria, non possunt perimi, quin simul subiecta eorum perimantur. Schbeck. l. 5 Top. loc. 32. Proprietatum delectio, est naturæ negatio, Theodore. Dial. 3. Cum actionibus propriis, res ipsæ quoq; tolluntur; Tauriel. de reram etern. p. 296. Propria non possunt. ~~ταύτην τις~~, εφ' ᾧ bewegeitay; Porphyri. 2. 17. S. 2 in Iag. 1. 12. utrūcunq; ab aliis. Utuntur, imò abutuntur potius hoc axiome Calviniani, in loco de COENA DOMINI; præsupposito enim hoc axiome; Proprium esse inseparabile; subsumunt de præsentia corporis Christi in Cœna, hoc modo: Proprietates essentiales nunquam possunt abesse à sua subiecto; Visibilitas, & palpabilitas, sunt essentiales corporis partes, E. à corpore nunquam abesse possunt.

Et per consequens.

Corpus verum ubi cunq; est, semper potest videri & palpari.  
Sed in Cœna corpus Christi, nec videri potest, nec palpari.  
Corpus Christi in Cœna revera non est præsens.  
Breviter nos respondemus. 1. Notandum; quæstionem esse de Proprio in quarto modo. Dividitur enim Proprium; (ut ex Logicis notum), quod est quadruplex. 1. Τῷ μόνῳ & τελείῳ; Quod

soli

soli speciei, sed non omni individuo convenit, e. g. Theologam  
esse, Jurisconsultum, Medicum, aut Philosophum; Soli quidem  
homini inest, sed non omni. 2. τῷ παντὶ ἐπι μόνῳ: Quod omni  
individuo istius specie, sed non soli isti speciei competit; Sic bi-  
pedem esse, omni homini attribuitur, verū non soli; nam & avibus  
competit. 3. τῷ μόνῳ τῷ παντὶ, ἀλλ’ ἐπι ἀεi: Quod soli, & omni  
competit, sed non semper; canescere soli homini competit, sed non  
semper, item ridere & flere. 4. τῷ μόνῳ, τῷ παντὶ, καὶ ἀεi: Quod  
omni, soli & semper convenit; ut Risiabilitas, & de hoc in præsen-  
tiarum queritur. II. Adjunctū fallacia decipiuntur Calviniani: Et-  
si enim recte, adjunctis affirmatis, subjecta affirmantur, non tamen  
contrā adjunctis negatis subjecta recte negantur, Christus  
quidem cuius autoritate argumenti hujus certitudinem stabibire  
conantur, ex affirmatione adjunctorum, visibilitate & palpabilitate  
subjecti corporis videlicet sui veritatem recte demonstravit. At  
contra negatis istis proprietatibus, tantum non efficitur, ut corpus  
ipsum negandum videatur. Proinde Propositio utriusq; Syllogis-  
mi, magna infirmitate laborat: idq; ex fundamento Logico de-  
monstrabimus ita. I. Subjectum & adjunctum argumenta sunt modo  
quodam consentanea, ideoq; tam absolute non consentiunt, ut ex  
unius negatione, alterius essentia statim si neganda; præsertim ex  
adjuncto subjectum. Nam adjunctum suo subjecto levius est: hoc  
est, leviorem habet consensionem cum suo subjecto, quam subje-  
ctum cum suo adjuncto. Subjectum enim quasi quoddam subster-  
niculum præbet adjuncto: facitq; ut illud alicubi esse possit: Sub-  
jectum ita firmius est, quia per se subsistit. Et posito adjuncto, quasi  
sua sponte occurrit, ut veluti locum subsistendi ei præbeat. Ad-  
junctū vero suo subjecto est levius, quia non per se, sed in suo sub-  
jecto subsistit, cum quo ita necessario nō cohæret, sed sœpè recedit.  
Ideoq; posito subjecto, non necessario ponuntur adjuncta: At po-  
sitis adjunctis, necessario ponenda sunt subjecta, , quia adjuncta  
nullibi sunt, nisi insubjectis, ut inquit Dominus Phillipus Melan-  
chthon; Accidentia non per se subsistunt, sed sunt in alio mutabiliter.  
II. Definitio utriusq; Argumenti plenius idem declarat. Subjectus  
est, cui aliquid adjungitur; Adjunctum cui aliquid subiicitur. Hoc  
est, subjectum est res causis suis jam constituta, absoluta, & perfe-  
cta, in quibus suam habet essentiam. Intelligitur ergo, subjectū

essentiam integrā, etiam esse extra considerationem adjunctarū; Et sive adjuncta adsint, sive absint, essentiā subjecti nec augere nec minuere. Ex quo manifestus est etiam error eorum, qui corporis adjuncta propria, essentiales proprietates vocant, & quidem hoc sensu, quod sine his essentia corporis salva esse nequeat. Nam si hoc verum est, non amplius adjuncta sunt, sed potius causae; quippe causæ essentiam rei sola constituent, præcipue materia & forma: Adjuncta vero præter essentiam accedunt ad rem plenē jam suis causis constitutam. Et proprietates corporis nemo hactenus essentiales appellavit causas, rei essentiam constituentes; sunt enim qualitates: Omnis autem qualitas adjunctum est, proinde potest abesse etiam rei proprietas, substantiā integrā manente.

His itaq; rationibus firmissimè demonstratur; Adjunctis affirmatis, recte affirmari subjecta: negatis vero illis, hæc necessario neganda non esse: nec sublati proprietatibus naturalibus, ipsam, substantiam tolli. Etsi enim proprietates illæ naturales, communī ordine & cursu, semper sint in subjectis, & per naturam, quæ tenetem semper obseruat suum, non mutentur; tamen suā naturā talia sunt, ut mutari possint, & abesse citra essentiaz corruptionem, disponente id ita naturæ auctore Deo; is enim, qui essentiis rerum illas adjunxit, pro sapientia sua, & voluntatis libertate; is & eadem potentia, salvis essentiis proprietates removere potest. Rem exemplis declarabo. Ferri naturalis proprietas est, grave esse, & semper tendere deorsum, nisi medium crassius impedit: Ferrum in aquam delapsum natare cœpit *a. Reg. 3. v. 6.* Puellarum humanarum proprium est concipere, non nisi ex virili semine: Virgo Maria concepit in utero sine virili semine, & ex purā foeminei seminis missā homo factus est *Luc. 1. v. 25.* Corporis humani proprium est, videri, palpari posse, non transire per aliud corpus, (natura enim abhorret à penetratione dimensionum) sed corpori cedere, cibo & potu conservari. Christus suo corpore invisibilis factus est *Luc. 24. v. 32.* & tactu aliquando prehendi teneriq; non potuit, sed illæsus transivit per medium Iudeorum *Luc. 4. v. 31.* Idem sepulchro clauso, & lapide obsignato resurrexit *Mattb. 28.* Clausasq; Januas transivit *Job. 20. v. 18.* nec amplius edit & babit. Nostra corpora naturaliter nutrimento, somno, quiete opus habent, sunt gravia & tarda;

carda. Nostri corporis accidentia in altera vita mutabuntur. *1 Cor.*  
*15. v. 43. 44.* Ex animali fiet Spirituale; ex corruptibili incorruptibile;  
Sic infirmitates corporis humani, post lapsum evaserunt propriæ,  
quæ in altera vita tollantur; salvâ nihilominus manente hominis  
substantia. *Sic Philip. 3. v. 21.* Nostrum Corpus humile, simile erit  
glorioso corpori ejus; Et tamen in carne nostra videbimus Deum,  
*Job. 19. v. 26.* Sic ignis de cœlo descendit, locum mutantando. Sic  
in insulis peregrinis Jucatana & Columella canes inveniri, ait scal.  
*ex. 202. s. 3.* qui nullum edant latratum. E. falsum est, omne propri-  
um esse à subjectis inseparabile, & canem ita absolute Calvinia-  
nis concederidum. Docetur ergo his exemplis, Deum ultra & supra  
naturam facere posse, & licer rationi videatur absurdum, in Eucha-  
ristiâ, acceptopane accipi corpus Christi, divinum tamen institu-  
tum esse, ideoq; credendum, quia Deus, naturæ Dominus, instituta  
naturæ mutare potest. Recte etiam Christus, & verè corporis sui  
veritatem demonstravit propriis visibilitate & palpabilitate; *Vide-*  
*te,* inquit, *& palpare, quia ego sum,* q. d. Vos creditis, me esse spectrū,  
& non vivum hominem; Atquî ubi visus arguit veram hominis for-  
mam, & tactus simul deprehendit ossa & carniem, ibi verum homi-  
num esse, certum est. Vos videtis meam formam, vos tactu percipi-  
tis carnem & ossa mea: Ergo me verum hominem esse creditis. Si  
tñkiter vitam suam sumptione cibi & potus demonstravit. Qui n.  
commedunt & bibunt, non mortui sunt, sed vivunt: Christus cum  
discipulis comedit & bibit. E. tum non amplius fuit mortuus, sed vi-  
vus. Contra male, ac sophistice argumentantur illi, qui ex proprié-  
tibus & adjunctis negatis, concludunt substantiam esse ne-  
gandam. Quis enim hoc negatum probaret, *Christus jam non edis*  
*neg;* *bibit E. amplius non vivit.* Nullum ideoq; robur est in hoc ar-  
gumento, de quo tantopere gloriantur Calviniani, quo unicō tan-  
quam formissimo præsidio nituntur, ut corpus à cena absens cre-  
dant, & impia est vox Piscatoris: cum inquit. *Deus non potest effi-*  
*cere, ut salve sint essentia, rerum detractū proprietatibus.*

### QUESTIO VI.

*An quoddam tempus detur in aeternitate?*

Affirmant Photiniani, quoddam tempus esse aeternum, seu in  
aeternitate tempus dari. Negant nostrarum Ecclesiarum ortho-

*doxi*

doxi Doctores; Rationes sumunt i. à definitione temporis, utpote  
quod definitur ἀερθμὸς κινήσεως καὶ τὸ μέτρον καὶ ὑστερόν  
*Arist. l. 4. Phys. c. ii.* Mensura motus secundum prius & posterius.  
Atqui in æternitate non est prius & posterius: E. in æternitate non  
est tempus.

II. A definitione æternitatis. Quicquid enim est tota & perfe-  
cta simul existentia, termino carens, ab illo excluditur tempus, tan-  
quam prædicatum de subiecto. Termino siquidem carere tempo-  
ri repugnat,

Sed æternitas definitur possessio vitæ interminabilis existens tota  
similiter & perfecta. à *Domino D. Jacobo Martin. in lib. 2 Metaphys.*  
*sect. 13. quæst. 5. E.*

III. Amateria circa quam, sive subiecto temporis. Affectio  
corporum naturalium & caducorum peculiari, non competit  
æternitati.

Tempus est affectio corporum naturalium cadu-  
corum peculiari.

E. Res æternæ excluduntur à tempore.

IV. Ab absurdo insequenti: Si tempus quoddam est æternum,  
dabuntur duo æterna; Deus nimis, & illud tempus.

Sed ex mente Arist. & sanctorum Philosoph. non  
dantur duo æterna. E.

Major est certissima. Minor prob. si dantur duo æterna, dantur  
& duo infinita; Duo autem infinita nequeunt esse, neq; in natura,  
neq; extra naturam. Unde Tarellus in synop. Met. hunc Apho-  
rismum ponit. Posita rerum æternitate, tollitur Deus.

V. Tempus in æternitate aut est οὐτοῖς creator, aut οὐτοῖς crea-  
tura, aut οὐκ επιμένειν concreatum quid. Non creator, alias Deus  
esset, quod vel ipsis Photinianis & *Φιλόσοφοι*.

Non creatura; tempus enim est affectio creaturæ; E. non crea-  
tura ipsa, alias motus, locus, quantitas in unum chaos cum corpore  
mobili, locabili, & quanto redigerentur, quod iterum absurdum.

Non concreatum quid; nullum enim concreatum est æter-  
num, quod namq; à non esse ad esse creatur, non potest esse æter-  
num suo creatori. Ergo tempus æternitate est merum  
figmentum. quod erat demostrandum.

*DEO LAVS ET GLORIA.*





Cognitis itaq; principijs cognitionis, d  
& essendi de DEO uno & Trino; sequitur  
finis Theologiae, qui est JUSTIFICATIO H  
TORIS CORAM DEO; propter hunc enim fin  
instituta est. Hinc pro veniunt Loci DE JUSTI  
DE BONIS OPERIBUS.

Finem proxime sequitur subjectum, qu  
tor, hinc loci DE IMAGINE DEI & CREATI  
TO, DE LIBERO ARBITRIO.

Ultimò deniq; media collocantur, per  
possimus, quæ sunt vel proxima vel remota: P  
Christum, hinc loci DE FIDE, DE CHR  
OFFICIO, DE CONCEPTIONE, NATIVIT  
CRUCIFIXIONE, MORTE, DESCENSIO  
NE, ASCENSIONE, ET SESSIONE AD DE


Hæc autem non in Lege, sed in Evangelio  
tut, hinc loci DE LEGE ET EVANGELIO. R  
eramētōrum Veter. & N. Testamenti, quæ  
gana fidei; Hinc Loci de CIRCUMCISIONE  
LI, BAPTISMATE, ET COENA DOMINI  
traduntur in Ecclesia; Hinc locus DE ECC

Deniq; certitudo justificationis ostenderet  
PRÆDESTINATIONE ET PROVIDENTIA  
ficationis consummatio pōlerenda, hinc loc  
novissimis, de FINE MUNDI, RESURRECT  
RUM, ÚLTIMO JUDICIO, VITA ÆTERNA.

Ne autem videamur aliquid statuisse si  
has subjugamus.

1. Omnes Præcepta disciplinae, ordine Analytic  
Theologia est disciplina Præctica;  
E. Ordine Analyticō conscribenda

Minor dupli modo probatur et dictis scri  
mūnē bida te mandere ēst, tāv ποιητή auct  
ut simus τονται operatores, non auditores, si  
nus & architectonicus summus seu ultimus



the scale towards document

is DE  
Justi  
nundi  
TUO  
RNO.

enda,  
17. Et  
jubet,  
genui-  
is non  
con-

Image Engineering Scan Reference Chart T7283 Serial No. 098